

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0247

0245

0251

0241

0256

collacatus, cui populus immolabat. Imo praecipuum excelsum
id erat, quod postea Ezechias abstulit 2. Reg. XVIII. 4. Et
propter has causas Judaei miro modo venerabantur locum
istum. Insuper et gentiles philosophi hunc locum visitabant,
propter mundi medium; hoc ibi esse demonstrabant, ut patet supra
fol. 117 B. Dispositio etiam loci illius patet supra fol. 117 B.
et fol. 130 A. Mansit autem locus ille honorabilis usque ad
tempora Graecorum gentilium, qui in odium Judaeorum orato-
rium ibi factum dissipaverunt et locum ad malefactorum in-
terfectionem deputaverunt et per hoc abominabilis factus est
locus sacer Judaeis. Sed Dominus Jesus adveniens saepe in
vita sua locum montis et sepulturae suae visitasse creditur,
eum locum sanctum ostendens, quem tandem morte et sepul-
tura et gloriosissima resurrectione consecravit et toti orbi
venerabilem fecit. Verum post Domini ascensionem beatissima
Virgo Maria, Apostoli et caeteri fideles cottidie locum visita-
bant et vestigia Domini Jesu deosculabantur, ut patet supra
fol. 173. Volunt etiam nonnulli, quod S. Jacobus minor,
primus Jerosolymorum episcopus, ab Apostolis ordinatus, sibi
sedem et habitaculum in loco resurrectionis Domini sui fecerit
ibique divina celebraverit; unum articulum fidei nostrae ad hoc
propositum in symbolo posuit, profitens, Dominum passum
sub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum et sepultum.

Ende

Anfang

Deinde post sancti Jacobi martyrium anno 42., alii dicunt
45., a passione Domini, peccatis Judaeorum exigentibus, ipsa
civitas sancta penitus destruta est, demta civitate David et
muro occidentali ex opposito rupis Calvariae et horti dominici
sepulchri, quod ideo stare permiserunt, ut custodes regionis
habeant praesidium. Post Romanorum discessum regressi sunt
Christiani, ut dictum est, in Jerusalem et locum Golgata de-
votione solita visitaverunt, non tamen ecclesiam vel templum
erexerunt ibi propter romanae custodiae timorem, et ne faciem
loci mutarent ab ea dispositione, quam habuit tempore cruci-
fixionis et resurrectionis Christi, quam dispositionem nec S.
Jacobus mutare voluit, ut memoria ibi factorum clarior habe-
retur. Et (265 A) utinam numquam templum ibi fuisse
constructum et clarior haberetur intellectus Evangelii de

